Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



ysa

et erunt formidantes egipti in die illa sicut mulieres et
et non erit egipto opus quod faciat caput et cauda maurum et
et refirenatem In die illa erit egiptus qui mulieres et stupebunt
et timebunt a facie commocionis manus domini exercituum quam ipse movebit
super eam Et erit terra juda egipto in pavorem Omnis qui illuc fuerit memor
datus pavebit a facie consilii domini exercituum quod ipse cogitavit super eam
In die illa erunt quinque civitates in terra egipti loquentes lingua chana
an et jurantes per dominum exercituum Civitas solis vocabitur una In
die illa erit altare domino in medio terre egipti et titulus domino iuxta
terminum eius et erit in signum et in testimonium domino exercituum in terra
egipti Clamabunt enim ad dominum a facie tribulantis et mittet eis sal
natorem et propugnatorem qui liberet eos Cognoscetque dominum ab egipto
et cognoscent egipti dominum in die illa Et colent eum in hostiis et
munieribus et vota vovebunt domino et solvent Et percutiet dominus egip
tum plaga et sanabit eam et invertentur ad dominum et placabitur eis et
sanabit eos In die illa erit via de egipto in assirios et ibit
assirius in egiptum et egiptius in assirios et servient egiptii assiri
In die illa erit israhel tertius egiptio et assirio benedictio in me
dio terre cui benedixit dominus exercituum dicens Benedictus populus
meus egipti et opus manuum mearum assirius hereditas autem
mea israhel Sequitur capitulum viesimum

XX

IN anno quo ingressus est tarthan in azoti cum misisset eum sar
gon rex assiriorum et pugnasset contra azoti et cepisset eam
In tempore illo locutus est dominus in manu ysaie filii amos
dicens Vade et solve saccum de lumbis tuis et calceamenta tolle
de pedibus tuis et fecit sic vadens nudus et discalceatus
Et dixit dominus Sicut ambulavit puerus meus ysaias nudus
et discalceatus sic erunt annorum signum et portentum erit super egipto
et super ethiopia sic minabitur rex assiriorum captivitatem egipti
et captivitatem ethiopie juvenes et senes nudi et discalceati
discopertis natibus ad ignominiam egipti Et timebunt et con
fundentur ab ethiopia spe sua et ab egipto gloria sua Et dicet
habitator insule huius in die illa hecccine erit spes nostra
ad quos confugimus in auxilium ut liberemur nos a facie
regis assiriorum et quomodo effugiemus nos

XXI